DE

ANTIQUISSIMIS TELEMACHIAE CARMINIBUS.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AMPLISSIMO ORDINI PHILOSOPHORUM MARBURGENSIUM

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE CAPESSENDOS

OBTULIT

LUDOVICUS ADAM

MAGISTER ORD. GYMNASII WIESBADENSIS.

MARBURGI — CATTORUM.

MDCCCLXXI.

AQUIS MATTIACIS.

APUD ADOLPHUM STEINIUM.

De antiquissimis Telemachiae carminibus.

„Nihil est veritatis luce dulcius."
Cic. Acad. II. 10, 31.

Jam antiquis temporibus cum exsisterent, qui Homeri carmina ab uno eodemque auctore esse profecta negarent, alii omni cum ingenii vi, ut Aristarchus ejusque schola, quacunque poterant ratione, illorum, *τῶν χωριζόντων*, causas labefactare ac frangere conati sunt. Idoneo autem atque integro Zenodoti judicio jam ante Aristarchum multa, quae ab aliis carminum partibus discreparent, apparuerant, in quibus vel adhuc et versus et scholia accuratius perlustrantes offendunt, quamquam hujus critici auctoritate omnes naevos satis exstinctos putares. Et re vera per longa saecula nemo fuit, qui sanctam Homeri unitatem aggrederetur. Nostris demum temporibus nimis novandi cupidis factum est, ut Wolfii, Lachmannii, alii, cum illius poemata perviderent, non solum Iliadem Odysseamque ab uno eodemque poeta composita esse negarent, sed — horribile auditu! — ne omnes quidem utriusque carminis partes unius ejusdemque auctoris esse contenderent. Statim proruperunt, qui has voces seditiosas impugnarent multosque, ut Nitzschius, unitariorum longe princeps, libros conscriberent, quibus bonum Homerum nunquam dormitasse nec profundo, interdum certe, sopitum fuisse somno comprobarent. Cum igitur hodie philologi in duas factiones aut unitariorum aut carminum venatorum sint divisi, a dissolventium ac seditiosorum partibus nos quoque stare nobis cum magno nostro dolore fatendum est. Quanticunque enim unitariorum studia sunt facienda, tamen non totum opus uno impetu percurrentem sed singulas utriusque carminis partes diligenter perscrutantem atque accuratissime perlegentem verum rerum statum cognoscere atque intelligere posse puto. Itaque quae nuper F. Nutzhornius in libro, cui praefatus est Madvigius quique inscribitur: „Die Entstehungsweise der homerischen Gedichte. Untersuchungen über die Berechtigung der auflösenden Homerkritik." (Leipzig 1869.) singulos locos in suos usus vertendo quasi de tripode in universum disputavit, minime comprobare possum. Cui quamquam et antiquos et nostros poetas paucis certe discrepantiis esse obnoxios neque Homero vitio tribuendum esse, quod interdum narratio sit vitiis infecta, concedimus — multa enim hujus rei affert exempla — tamen alia sunt in illis carminibus, quae nullo modo excusari possunt. Ita Henningsius in libro de Telemachia scripto, cui titulum fecit: „Ueber die Telemachie, ihre ursprüngliche Form und ihre spätern Veränderungen" (Leipzig 1858.), hanc Odysseae partem posterioribus demum temporibus ad rerum sermonisque reliquorum librorum normam esse compositam docuit

(p. 219 seqq.) et Kirchhoffius in libro, qui inscribitur: „Die Composition der Odyssee“ (Berl. 1869.), ne omnes quidem Telemachiae partes, id quod Henningsius contenderat, ab eodem auctore esse confectas luce clarius ostendit. (p. 1—47.) Cui viro doctissimo cum adstipuler, equidem eo audaciae progrediar, ut Telemachiae auctorem magnum versuum numerum, imprimis „nostos“ aliunde surreptos ad poema excudendum usurpasse declarem. Mihi enim iterum iterumque haec legenti ac praesertim quartum Odysseae librum diligentissime tractanti, complures occurrerunt, quae mihi maxime vituperandae viderentur res. Sed de universa quidem hujus poematis natura pluribus disputare omitto, leviter haec transibo ac tantummodo perstringam.

Ac primum quidem per totam argumenti explicationem Minerva, quae sibi proposuit, non assequitur. Quae cum in deorum concilio (cf. I. 76 seqq.), de quo tamquam de re decantata verba facere supersedeo, impetrasset, ut Mercurius ad Calypso mitteretur, ipsa Ithacam iret non oportuit. Telemachum enim, ut in Ithacensium concilio procis nimio verborum strepitu domum abire jussis ludibrio esset dimitteretque concionem his verbis insulsissimis (II. 210):

ταῦτα μὲν οὐχ ὑμέας ἔτι λίσσομαι οὐδ' ἀγορεύω,
ἤδη γὰρ τὰ ἴσασι θεοὶ καὶ πάντες Ἀχαιοί,

seducere non debuit prudentissima dea. Quam si partem attentius perleges, auctor summa cum trepidatione ac festinatione finem narrandi appetere tibi videbitur, ut statim alteram i. e. nostos, in quibus componendis aliorum operibus nitatur, referat. Sed hanc quoque, id quod jam veteres intellexerunt critici, non bene molitus est. Nam apud scholiastam haec scripta legimus (I. 93): „*ἄτοπος δοκεῖ εἶναι Τηλεμάχου ἡ ἀποδημία πρῶτον μὲν κίνδυνον προξενοῦσα τῷ νέῳ, δεύτερον ἐπανάστασιν τῶν μνηστήρων ἀπειλοῦσα, τρίτον οὐκ ὠφελοῦσα τὴν ζήτησιν τοῦ πατρός.*“ Quibus vero causis in sequentibus has discrepantias excusare conatur, res ipsa neque infirmatur neque attingitur. (cf. etiam schol. I. 284.) Cum igitur nec proci Ulixis domum relinquant nec Telemachus, quamquam de patris mansione a Proteo doceatur, quidquam moliatur, ut illum servet, Minervae et consilium et iter in cassum recidunt. Sed haec de universa Telemachiae indole omni arte carente!

Jam singulas aggrediamur partes; quas si perscrutabimur atque intelligemus, non pauca vituperatione digna inveniemus. Quodsi quis Homeri carmina obiter delibat apisque modo flores, quibus mel inest, pervestigantis, alios specie illos quidem formosissimos sed melle carentes fastidientis, „dente superbo“ partes minore arte caelatas negligit: quamvis ceteroquin sit diligens in studiis homericis, haud multum inde redundabit ei emolumenti. Itaque ipsum Henningsium nimis multa uno impetu sibi proposuisse percurrenda judico; quo factum est, ut in rebus singulis ab ejus partibus minime stare possem. Multo rectius vero Kirchhoffius in libro supra laudato singulos libros vel minores partes tractandas sibi elegit ac summa cum arte multa disputavit, quae illius carminis indolem ac naturam aperirent. Cujus viri doctissimi cum vestigia premerem, in quarto Odysseae libro legendo, scholiasta imprimis adjuvante, multa quae longe aliter instituta vellem, mihi occurrerunt. Sicut enim est in fabula: cornicem quondam, quae pennis pavoni fraudulenter surreptis ornata inter sui similes tamquam

regina incederet, a sororibus arrogantia lacessitis iraque incensis, pennis et aliunde petitis et insuper propriis privatam dehonestatamque esse demissam: ita is quoque, qui nostrum conglutinavit carmen, leporem aliis ex locis vel poetis subductum exutus, illis quoque rebus, quas temere inepteque fictas de suo addidit, laude, qua ceteri florent rhapsodi homerici, indignus videtur esse.

Itaque si, cum Telemachus *νόστον πευσόμενος πατρὸς φίλου* Pylum Spartamque profectus sit, (I. 93) pauca, quae de patre quarti demum libri versibus 498 et 548—561 audiat, primitus ibi legi non potuisse sed necessario nostis, quos auctor referat, interposita esse demonstravero, neminem Telemachiam opus esse subditicium, cui initio in Odyssea locus non fuerit, infitias iturum meo jure spero. Quibus expeditis cum reliquae fabulae de viris fortibus insertae, tum „nosti“ aliunde petiti *Τηλεμάχου ἀποδημίας* auctori sunt abjudicandi.

Ac cum dii in priore concilio de Ulixis domum reditu deliberent (cf. I. 76 seq.), Minerva sua sponte Mercurium in Calypsus insulam mitti jubet, promittit se ipsam Ithacae effecturam esse, ut Telemachus Spartam Pylumque adeat (I, 93):

νόστον πευσόμενος πατρὸς φίλου, ἤν που ἀκούσῃ
ἠδ' ἵνα μιν κλέος ἐσθλὸν ἐν ἀνθρώποισιν ἔχῃσιν.

Quod consilium minime a reliquis diis probatum dea celerius quam cautius exsequitur (I, 284 seqq.). Itaque illum de optimi patris fortuna pauca certe a Nestore vel Menelao, qui *δεύτατος ἦλθεν Ἀχαιῶν χαλκοχιτώνων* (I. 286) auditurum esse exspectamus. Postquam igitur in Ithacensium concilio juvenis repulsam tulit neque a populo adjutus est, navem a Minerva paratam cum sociis conscendit ancoramque solvit. Simulac Pylum pervenit, Nestorem hospitis officio urbane functum, ut patris *λυγρὸν ὄλεθρον* sibi narret, rogat (III. 79—101). Sed paucis fraternae, quae inter Nestorem atque Ulixem ante Trojam intercesserit unanimitatis mentione facta, postquam, qualis suus domum reditus fuerit, planissime explicavit, (130—184) sponte et Neoptolemum cum Myrmidonibus et Philoctetam et Idomeneum „patrios repetiisse penates“, praeterea Agamemnona ab Aegistho domi suae dolo esse interfectum commemorat *λιγὺς Πυλίων ἀγορητής* (188 seqq.). Quamquam autem Telemachus ab Aegistho scelus illud nefandum esse patratum et ipse jam dudum audivit (III. 193), tamen, quomodo Agamemno mortuus sit et ubi tunc temporis Menelaus fuerit, ex Nestore sciscitatur. (247). Cui cum etiam in hac re morem gerat longaevus senex, res inter se repugnantes non bene conjungit et nos garrulitate ejus minime offensos in eo tantum laedit, quod media hiat narratio (276). Sed his jam missis factis, ut revertamur, unde deflеximus: Telemachus de patris sorte a Nestore prorsus nihil comperit itaque Spartam ad Menelaum ire pergit. Benigno ibi quoque exceptus hospitio, secundo demum die iisdem fere verbis atque apud Nestorem factum erat, ab Atrida ut sibi aliquid de cari patris dicat fortuna, petit. (IV. 306 seqq.) Qui cum jam paucis errores suos adumbraverit, (IV. 81 seqq.) tamen longiore narratione pulchram illam de Proteo fabulam profert (IV. 351—587). In cujus fine intelligendo jam multi desudaverunt viri docti, ut Nitzschius in adnotationibus in Odysseam scriptis et Henningsius, qui una cum F. A. Wolfio notandos illos, qui de Menelao in Elysiis campis post mortem collocando leguntur versus (IV. 561—

570), Telemachiae auctori abjudicavit (p. 189 seq.); quibus in his delendis non adstipulor. Immo ejusdem farinae esse ac versus 548—561 illumque, qui nudus destitutusque in Protei narratione legitur, versum 498:

εἷς δ᾽ ἔτι που ζωὸς κατερύκεται εὐρέι πόντῳ

puto. Hos autem a nostro eo consilio additos esse, ut nostis aliunde desumptis Telemachiae procudendae uti possit et Telemachus tandem aliquando pauca de patre audiat, contendo ac declaro. Sed ut eos in nostrum locum minime quadrare compluribus iisque gravissimis causis comprobem, paullo altius mihi repetendum est.

Cum Menelaus, quas diis debebat hecatombas, non immolaverit, ventis adversis in Aegypto retinetur nec navem solvere potest. Quid igitur mirum, quod ipse tristi vultu incedit et socii fame coacti vel piscibus capiendis operam navant? In hac necessitate, ut fieri solet interdum certe in Homeri carminibus, Eidothea, filia Protei, varii illius et quasi multiformis senis marini, qui

Prodigium canit et tristes denuntiat iras,

benevolentissima Menelai fautrix atque adjutrix auxilio venit. Quae ut patre devincto domus sortem reditumque roget, benigne his verbis suadet: (IV. 389 seqq.)

ὅς κέν τοι εἴπῃσι ὁδὸν καὶ μέτρα κελεύθου
νόστον θ᾽, ὡς ἐπὶ πόντον ἐλεύσεαι ἰχθυόεντα.
καὶ δέ κέ τοι εἴπῃσι, διοτρεφές, αἴ κ᾽ ἐθέλῃσθα
ὅττι τοι ἐν μεγάροισι κακόν τ᾽ ἀγαθόν τε τέτυκται.

Quorum versuum parti priori respondent quae v. 423 seq. legimus:

— εἴρεσθαι δέ, θεῶν ὅστις σε χαλέπτει
νόστον θ᾽, ὡς ἐπὶ πόντον ἐλεύσεαι ἰχθυόεντα.

Menelaus igitur, qui nihil antiquius habet, quam ut salutare deae praeceptum sequatur, et causam morandi a capto Proteo quaerit et, ut est ex hominum more haud ita vivos quam mortuos curantium, qui in reditu perierint viri, his percontatur: (486 seqq.)

ἀλλ᾽ ἄγε μοι τόδε εἰπὲ καὶ ἀτρεκέως κατάλεξον
ἢ πάντες σὺν νηυσὶν ἀπήμονες ἦλθον Ἀχαιοί,
οὓς Νέστωρ καὶ ἐγὼ λίπομεν Τροίηθεν ἰόντες,
ἦέ τις ὤλετ᾽ ὀλέθρῳ ἀδευκέι, ἧς ἐπὶ νηός
ἠὲ φίλων ἐν χερσίν, ἐπεὶ πόλεμον τολύπευσεν.

Qui enim ante Trojam cecidissent, ipse bene noverat. (497 *μάχῃ κτλ.*) Eleganter igitur hi versus iis, quae Eidothea supra dixerat, respondent (391 seqq.). Huic autem quaestioni in sequentibus duo hi versus consentiunt *λογικῶς* (496 seq.):

ἀρχοὶ δ᾽ αὖ δύο μοῦνοι Ἀχαιῶν χαλκοχιτώνων
ἐν νόστῳ ἀπόλοντο· μάχῃ δέ τε καὶ σὺ παρῆσθα,

non consentit versus 498:

εἷς δ᾽ ἔτι που ζωὸς κατερύκεται εὐρέι πόντῳ.

At dixerit aliquis, cur Ulixem, qui et ipse neque is *ἀπήμων* (487) in mari retinebatur, non commemoret? Sed vide! Quae est totius nostrae fabulae et rerum et versuum concinnitas, quae nostri loci perspicuitas, Proteus duobus illis versibus „verbum am-

plius unum“ addere non potuit. Nam cum Menelao supra quaerenti (486 seqq.), utrum omnes viri incolumes redierint an nonnulli vel in mari vel amicorum dolo perierint, priore quaestionis parte neglecta, haec respondeat:

πολλοὶ μὲν γὰρ τῶν γε δάμεν, πολλοὶ δὲ λίποντο,
ἀρχοὶ δ᾽ αὖ δύο μοῦνοι Ἀχαιῶν χαλκοχιτώνων
ἐν νόστῳ ἀπόλοντο· μάχῃ δέ τε καὶ σὺ παρῆσθα,

postremis his verbis *μάχῃ κτλ.* superioribus oppositis se finem explicandi fecisse luce clarius indicare mihi videtur. Atqui opponat quis hanc logicam, quam dicunt, causam parum virium habere! Esto! tamen dici non potuit *εἷς ἔτι που ζωὸς κατερύκεται,* quippe cum duo viri fortes, et Ulixes et Menelaus, tunc temporis *ζωοί* in mari retinerentur. Sin autem auctor rationes arti congruas sequi elegantique loquendi genere uti voluisset, Menelaum et ipsum sicut Ulixem retineri addere neque hunc solum nominare debebat. Quam inepte igitur noster Menelaum e Proteo quaerentem facit? (551.)

τούτους μὲν δὴ οἶδα· σὺ δὲ τρίτον ἄνδρ᾽ ὀνόμαζε,
ὅστις ἔτι ζωὸς κατερύκεται εὐρέι πόντῳ.

Has cum discrepantias atque perversitates, quibus majores nullo fere alio loco Iliadis vel Odysseae reperiuntur, non viderent neque antiquitatis nec nostrae aetatis philologi, factum est, ut versum ineptissimum 553:

ἠὲ θανών· ἐθέλω δὲ καὶ ἀχνύμενός περ ἀκοῦσαι,

elegantius quam cautius adimerent tantarum repugnantiarum consarcinatori; cui quae aliis ex locis fraudulenter surripuit, mirum quam cedunt, quae vero de suo adjecit, summis insulsissimisque obruuntur pravitatibus. Perversum hunc versum esse, jam antiqui intellexerunt critici. Satis est scholiastae verba hic apposuisse (553) *ἠὲ θανών*] *ἐν ἁπάσαις ἠθετεῖτο, τοῦ γὰρ Πρωτέως εἰπόντος „δύο μοῦνοι ἀπόλοντο“ γελοίως τρίτον ζητεῖ ἀπολόμενον.* Sed quod in re apertissima pluribus commorari non operae pretium est, jam tertiam causam, quare totus de Ulixe locus spurius judicandus sit, subscribemus.

Age, si tibi videtur, narrationes duas de Ajace et Agamemnone a Proteo prolatas mecum jam perlustra. Sicut est viri eleganter ac juste res ab aliis gestas narrantis, Proteus caute dividit in duas partes narrationem particulis *μέν* et *δέ* graecae linguae usitatissimis: *Αἴας μὲν μετὰ νηυσὶ δάμη* . . . (499) et *σὸς δέ που ἔκφυγε κῆρας ἀδελφεός* . . . (511). Qui si versum 498 insuper adjecisset, profecto a Menelao perversa illa quaestione (551 seq.) non excitatus, sed statim quae de Ulixis mansione sciebat, subjunxisset, sicut Ajacis Agamemnonisque sortem narratione non intermissa retulit. Sed cum haec non fiant, immo Menelaus doloris vi oppressus omnium fere rerum et reditus et sociorum oblitus esse videatur, (538 seqq.) senex ille varius vehementer rogat, ut quam celerrime in patriam redeat (543 seq.). Quae est igitur hujus narrationis indoles, his ipsis Protei verbis finem narrando esse impositum disertissime indicatur. Itaque neminem nisi ad omnia indicia caecutientem fugere potest quin, si versui 547 statim subjungatur v. 570:

ὣς εἰπὼν ὑπὸ πόντον ἐδύσετο κυμαίνοντα,

recta ac vera hujus fabulae nascatur conclusio circumscriptioque.

Quam recte haec judicata sint, ex sequentibus, quibus quarta illius loci ejiciendi continetur causa, apparebit. Ut enim taceam, non ex hominum more esse tanta tamque dira audientium *αὖτις ἐνὶ στήϑεσσιν ἰαίνεσϑαι*: quae sequuntur Menelai verba toto coelo distant ab iis, quae modo Proteus locutus est. Postquam enim hic Atridam, ut quam primum domum rediret, exhortatus est, ille interrogationem denuo his incipit verbis: „*τούτους μὲν δὴ οἶδα* (551); quae si dicere voluisset, certe statim post v. 537 dicenda erant, neque hic, ubi nullo modo quadrant. Qua ex re nostrum totam rem non bene instituisse apparet. Nam perverso loco embolio inserto, misellum absurdi versificatoris opusculum in cassum recidit. Ac ne versus quidem illum de suo sumpsisse haec tabula docebit:

v. 548 *κραδίῃ κτλ* = Il. X. 220 addita formula vulgatissima *ὣς ἔφατ᾽*.

In v. 549 seq. procudendis usus videtur esse Il. XXIII. v. 600 seq., e quibus v. 550 nude transscripsit.

v. 551 aegre de suo addidit.
v. 552 = 498 = Od. I. 197.
v. 553 ineptissimum aegre confecit.
v. 554 = 471.
v. 555 = Od. IX. 505.
v. 556 *ϑαλερόν κτλ* = Il. VI. 496.
v. 557—561 = Od. V. 14—18.

Sed ut quintam postremamque neque eam negligendam afferam causam, versus 498, quam nostri homines bona acceperunt fide, jam antiquorum criticorum dubitationibus obnoxius erat. Si enim scholia evolveris, haec ibi scripta invenies: *εἰς δ᾽ ἔτι*] *Ζηνόδοτος τοῦτον περιγράφει* · (*οὐ γράφει* Duentz.) *ἀναγκαῖον δὲ καὶ αὐτὸν εἶναι διὰ τὸ λέγειν ὕστερον Μενέλαον* (551) „*σὺ δὲ τρίτον ἄνδρ᾽ ὀνόμαζε*“, quod scholion omnes fere Odysseae editores praeter Dindorfium, Duentzerum, Nitzschium, Jacobum La Roche silentio transierunt. E quibus La Roche in Odysseae editione nuper in lucem prodita, qui liber est et elegantissimus et utilissimus, pag. 85 imo margine haec subscripsit: „Ex hoc scholio corrupto colligi non potest, Zenodotum hunc versum expunxisse, nisi forte pro *ὃς γράφει* cum Duentzero (Zenod. p. 13) *οὐ γράφει* scribis, vel cum Dindorfio *περιγράφει*, quibus non assentior; nam si ita scriptum fuisset, verba sequentia *ἀναγκαῖον δὲ εἶναι κτλ.* non cohaererent cum antecedentibus. Accedit quod hic versus amoveri non potest; nam ad eum referuntur, quae Menelaus infra dicit: „*σὺ δὲ τρίτον ἄνδρ᾽ κτλ.*, quod Zendotum fugere non potuisse credo.“ Quae quidem postremo loco disputavit vir doctus, recte se habent, iis autem, quae antecedunt, assentiri prorsus non possum. Totum enim scholion tamquam corruptum rejicit. Sed cum verba, sicut tradita sunt: *Ζηνόδοτος τοῦτον ὃς γράφει · ἀναγκαῖον δὲ καὶ αὐτὸν κτλ.* sensum non praebeant rectum, alia ratione rem restituamus necesse est.

Quod notitia curae a Zenodoto in Homerum impensae ad nos per Aristarcheos solos pervenit, facile fieri potuit, ut, versu a Zenodoto tamquam suspecto notato, aliquis grammaticus, quae ille adscripserat ita referret: *Ζηνόδοτος τοῦτον ο ὐ γράφει* et verbo *φησίν* omisso in reliquis verbis annectendis oratione obliqua uteretur. Nam cum Zenodotum

versus aut *οὐ γράψαι* aut *ἀθετῆσαι* i. e. obelo notasse inter viros doctos constet, corrupta illa lectio „*ὃς γράφει*" facillime, ς leviter in υ mutato, ita emendare possumus, ut cum Duentzero *οὐ γράφει* legamus. At duas has res: „*οὐ γράφει*" et „*ἀναγκαῖον δὲ καὶ αὐτὸν εἶναι κτλ.* non inter se cohaerere dicit vir doctus. Fronte enim adversa uterque locus alter alterum impugnare videtur, quia verba *οὐ γράφει*, quibus Zenodotus usus est, significant aut „versum plane ejecit" aut, ut alii volunt, „non reperit in suis editionibus". (Cf. Sengenbuschii diss. hom. prior. p. 22.). Sed ab eo ejectum non esse, ex sequentibus „*ἀναγκαῖος δὲ καὶ αὐτός ἐστιν*" apparet. Restat igitur nihil, quam ut, cum eum in editionibus, quarum antiquissimas saepissime secutus est, non repererit, tamquam necessarium e recentioribus desumptum addiderit; quod saepius factum esse Duentzerus in libro, qui inscribitur „de Zenodoti studiis homericis" pag. 31 seqq. ostendit. Verbis vero „*καὶ αὐτός*" eum sicut alios adjiciendum esse, ut recta fiat narratio, sibique totum locum magnopere suspectum esse, diserte indicat. Jam vides, quanta cum cura veteres critici naevos, quibus laborabat Homerus, exstinguere et delere studuerint.

His igitur de causis versus 498 illudque de Ulixis mansione Menelaique apotheosi embolium a Telemachiae auctore, ut esset, quomodo „nosti" insererentur, excogitatum atque additum esse puto. Compositione autem tam hiante detecta, omnes illas fabulas de virorum fortium reditu relatas aliunde depromptas varieque detortas Telemachiae interpositas esse, mihi persuasum est.

Ut ad alteram dissertationis partem accedamus, primum quae concinnator noster aliunde deprompserit, deinde e quo fonte hauserit, perscrutabimur. Itaque reliquas horum nostorum partes mecum accuratius inspicias ac percenseas velim, quo facilius „disjecta membra poetae" conquirere possimus. Sed ut in hac Protei fabula explicanda pergamus, jam v. 351 duoque sequentes, quos viri docti deleverunt, suam accipiunt lucem. Cum enim jure in particula *ἔτι* perverse hoc loco posita offenderent, variis modis excusare studuerunt. Atque alii ut Duentzerus in editione Odysseae scholiastam secuti sunt haec dicentem: „*ὁ μὲν Ἀριστοφάνης παρέλκειν φησὶ τὸ ἔτι, ὡς* v. 736." Hic enim, cum versus *Αἰγύπτῳ μ᾽ ἔτι — θεοὶ ἔσχον* et 354 seq.

νῆσος ἔπειτά τις ἔστι πολυκλύστῳ ἐνὶ πόντῳ . . . .
ἔνθα μ᾽ ἐείκοσιν ἤματ᾽ ἔχον θεοί

inter se repugnent et versus 353

οἱ δ᾽ αἰεὶ βούλοντο θεοὶ μεμνῆσθαι ἐφετμέων

verbis *βούλοντο* et *ἐφετμέων* summam jure moveant suspicionem, quae scholiastae annotatione hic subscripta augetur: „*βούλεται μὲν λέγειν θυσιῶν ἀσαφέστερον δὲ εἴρηται. διὸ Ζηνόδοτος ἠθέτει. ποῖαι γάρ, φησίν, ἐγένοντο ἐντολαί;*" tres illos versus exsulari jubet. Et haec recte quidem sunt disputata; sed cum eo consilio adjuncti esse videantur, ut vinculum quoddam inter nostrum et Nestoreae narrationis locum (III. 300)

— ἀτὰρ τὰς πέντε νέας κυανοπρωρείους
Αἰγύπτῳ ἐπέλασσε φέρων ἄνεμός τε καὶ ὕδωρ

intercedat, tot tantisque discrepantiis artem ejus impugnantibus, minime Telemachiae consarcinatori sunt abjudicandi. En habes miserum miselli versificatoris opus, qui ut

fratri eandem atque Menelao (III. 286 seqq.) tribueret sortem, decantatam quoque quam de Agamemnonis naufragio (IV. 514—521) legimus fabulam — reliqua enim inde a versu 354 bene cedunt praeter versus, quos supra notavimus — excogitavit. Nam ut Nitzschius (Erklär. Anmerkg. z. Odyss. p. 279) vidit, Agamemno in reditu Maleam promontorium petere non potuit. Cum enim navigantes, memores illi quidem proverbii „Μαλέας δὲ κάμψας ἐπιλαθοῦ τῶν οἴκαδε", promontorium illud et propter tempestates et propter latrones maritimos funestum anxie caverent (Herod. I, 82; Thucyd. IV. 54; Verg. Aen. V, 193), Cytheram Maleamque tum demum peterent, si qui lucri causa ut Phoenices mare Jonium, Tuscum, alia navibus adirent: Agamemno hac via multo longiore redire non potuit et si ad Maleam appulisset, inde in altum mare procellis raptus certe non ἀγροῦ ἐπ' ἐσχατιήν venisset. Sin autem in Aegisthi praedio erat, cur iterum maria tentat, cur navigationi non viae se committit? Quibus cum insulsitatibus viri docti locum invenirent laborantem, Büchnerus et Nitzschius (Sagenpoesie p. 114 Anm.) transpositionem ausi sunt, ita ut versus 517 seq. post v. 520 legeremus; Duentzerus v. 517 seq. prorsus expunxit. Sed Nitzschii sententia, id quod Bekkerus in editione sua fecit, probata, quid sibi velit illud καὶ (κεῖθεν) versus 517, cur subito pluralem numerum ἵκοντο (518) legamus, intelligere non possum. Equidem quod Agamemnona perniciem effugisse absque Junone servatum esse jam v. 511 seq. auctor dixit, totum emblema solitam interpolatorum artem redolens de causa supra commemorata a nostro insertum esse censeo. Accedit quod, ut Duentzerus intellexit, complures versus aliis ex locis deprompsit:

v. 514 misere confectus est ex X 275 ἀλλ' ὅτε δὴ ἄρ' ἔμελλον — ἵξεσθαι et Il. 286 Μαλειάων ὄρος αἰπύ.

v. 515 verbo ἵξεσθαι ex X 275 petito, reliquas partes sicut sequentem totum ex V 419 transscripsit.

Sed his jam missis factis ad Nestoris narrationem recedamus; qui a Telemacho interrogatus sui reditus fortunam longiore sermone refert (III, 102—200). Incipiens autem ab iis, quae terra marique in bello passi sint quique viri occiderint, subito similitudinis, quae inter Telemachum patremque intercedat mentione facta, ad suam Ulixisque concordiam celebrandam transit et tunc demum propriam de reditu adjicit narrationem (v. 130), cui finem imponit v. 183. Quae vero de Neoptolemo, Philocteta, Idomeneo, Agamemnone adumbrata tantum dicit, initio totius loci (102—130) sunt simillima et decurtate e nostis huc translata. Sed cum quae de reditu suo narrat (130—183) et quae de aliis comperit (183—201) bene fluant, pauca sunt in initio, quae in virorum doctorum suspicionem inciderunt. Ac primum quidem Duentzerus v. 120—126, quippe qui et cum antecedentibus et cum sequentibus nullo modo cohaererent, abesse jussit. Simili versuum 120 et 126 initio [ἔνθ' οὔτις — ἔνθ' ἤτοι] suspicio eos adulterinos esse augeri videtur. Sed et versus 515 seq. castigandi sunt, quia apodosis quam dicunt prorsus abest. Ameisius quidem eam ita, ut eandem atque protasin esse dicat, supplere vult. Sed frustra. Defendi non possunt; ex iis autem quae de versibus minore arte caelatis et a nostro additis supra intelleximus, hos quoque ab eo insertos esse eo majore jure mihi conjiciendum videtur, quod v. 122—25 agnitionis illius, quam l. IV. v.

140—167 legimus, afferunt memoriam. Saepius enim alios locos ab operis nostri auctore significari, jam supra vidimus et Henningsius accuratius in libro laudato demonstravit. (p. 225 seqq.)

Ac cum Nestor Aegisthum commemoret, Telemachus, qui et ipse Agamemnonis caedem novit (III. 193), nihilo tamen minus hanc quoque planius sibi referri cupit. (III. 248). Sed hoc juvenem noster facit verbis insulsissimis quaerentem; quae cum jam Buttmanno scrupulum movissent, Nitzschius frustra sanare studuit. (Erklär. Anm. p. 183 ff.). Omnia enim perturbantur miscenturque (248): *πῶς ἔθαν' Ἀτρείδης; ποῦ Μενέλαος ἔην;* jam sequitur: *τίνα δ' αὐτῷ μήσατ' ὄλεθρον Αἴγισθος;* ubi *αὐτῷ* non ad Menelaum sed ad Agamemnona referendum est. Accedit quod tota sententia, quae eadem est ac prior *πῶς ἔθαν' Ἀτρείδης*, aliis verbis tantum expressa, prorsus inutilis est. Deinde verba *ἦ οὐκ Ἄργεος ἦεν Ἀχαιικοῦ κτλ.* non de Agamemnone sed de Menelao sunt intelligenda. Quid plura? Tot tantisque discrepantiis hic locus laborat, ut nihi supra possit. Menelaus vero, ut par est, ad haec respondet sed medio sermone interrupto, ut Duentzerus adscribat: „256—275 enthalten eine auffallende Abschweifung". (Cf. Nitzsch. l. l. et Ameis.) Quae ipsa res misellam versificatoris artem denuntiat. Posteriori Telemachi quaestioni respondent, quae v. 276—300 scripta invenimus, sed ad finem narratio perducta non est (cf. v. 300); priorem vero quaestionis partem neglexit, tantum quomodo Clytaemnestram ad se illexerit Aegisthus, auctor narrat. Sed quo disjecta haec „poetae" membra referenda sunt?

Cum Nestor l. III. v. 168 dixerit, Menelaum una secum navigasse et suum Diomedisque felicem reditum, Menelai omisso, narraverit, qua in re Duentzerus quoque offendit, qui v. 276 haec adjunxit: „vergl. 168 ff., wo in der weiteren Erzählung des Menelaus nicht gedacht wird": equidem initio v. 276—300 aliquo modo cum priore Nestoris narratione (130—184) conjunctos fuisse existimo. Quod ita factum esse poterat, ut versibus 276 seq. deletis, quod v. 169 fronte adversa repugnant (cf. *ἡμεῖς μὲν γὰρ ἅμα πλέομεν Τροίηθεν ἰόντες* et *ὀψὲ δὲ δὴ μετὰ νῶι κίε ξανθὸς Μενέλαος, ἐν Λέσβῳ δ' ἔκιχεν.*) v. 278—286 statim versum 179 sequerentur ac deinde v. 180, tribusque qui sequuntur, interpositis, jam v. 286 seqq. usque ad v. 300, id quod etiam v. 286 „*καὶ κεῖνος*" indicari videtur, legerentur. Quae vero de Aegistho Clytaemnestram corruptelarum illecebris irretiente (III. 263—275), quae de Oreste parricidam necante (303—312), quae denique de Agamemnonis caede a Proteo narrantur (IV. 512—537), nullo modo inter se conjungi possunt. Id tantum apparet versus, quos scholiasta ad Eurip. Orest. (v. 239) laudat [*Στησίχορός φησι καὶ Ἡσίοδος καὶ Ὅμηρος*]:

Ὥστε Κλυταιμνήστρη λείπουσ' Ἀγαμέμνονα δῖον
Αἰγίσθῳ παρέλεκτο καὶ εἵλετο χείρον' ἀκοίτην
ὡς Ἑλένη τ' ἤσχυνε λέχος ξανθοῦ Μενελάου,

optime post l. III. v. 275 quadrare; nullum enim adhuc habent locum. Quos centonarius cum et rebus et sermonis colore Telemachiae non congruerent, transscribere ausus non est.

Jtaque l. III. v. 101—201; 254—312; IV. 351—586 e nostis alicujus poetae petiit, cui etiam IV. 1—20, 80—92, 125—137, 220—235; XV. 113—119 aperte debet;

quae autem IV. 235—290 refert, alii carmini sunt tribuenda. Si haec omnia bene judicaverimus et perpenderimus, quae de virorum reditu legimus, non a Telemachiae auctore excogitata sed aliunde surrepta praveque detorta ad hoc opusculum procudendum collata esse, nemo non concedet. At quaesiverit quis, unde tandem haec desumpserit centonarius?

Sed priusquam ad haec tibi respondeo, Telemachiam recentioris aetatis esse, paucis mihi docendum est. De hac re cum jam Henningsius opus ad reliquarum Odysseae partium normam ac regulam compositum esse in libro supra laudato ostenderit, legentes ad commentationem ipsam ablegasse satis erit (pag. 219 seqq.). Quod vero ad unam omnes hujus operis partes ab uno eodemque poeta profectas esse dixit, nostos certe ab eo excogitatos esse non posse intelleximus. Ac universum quidem et rerum et verborum Telemachiae colorem eundem atque Odysseae esse, nemo infitias ire poterit. Sed ea, quibus nisus serae originis carmen esse ostendit Henningsius documenta, aliis neque iis parvi momenti augere potuit. Nam si versus et scholia attentissime perscrutatus eris, l. I. v. 198, qui nullius dubitationi obnoxius factus est [*χαλεποὶ δέ μιν ἄνδρες ἔχουσιν*] haec adscripta invenies: „*χαλεποὶ ἄνδρες, ἤγουν ὁ Κύκλωψ καὶ οἱ μετ᾽ αὐτοῦ· ἁρπάσας γὰρ Ὀδυσσεὺς τὴν θυγατέρα τοῦ Κύκλωπος, ὁ Κύκλωψ μετὰ πολλῆς ἰσχύος νῆας ποιήσας κατὰ τοῦ Ὀδυσσέως ἐφέρετο καὶ οὕτως οὐκ εἴα αὐτὸν πρὸς τὴν οἰκείαν ἐπιστρέψαι;* quibuscum conferas velim scholion l. I. v. 69 additum [*ὃν ὀφθαλμοῦ ἀλάωσεν*] *ὃν τῆς θυγατρὸς ἐστέρησεν· μίαν θυγατέρα εἶχεν ὡς ὀφθαλμόν.* Quae quantopere abhorreant ab antiqua Cyclopia fabula et Ulixis apud Calypso mansione et Minervae potentissimae sapientia monere supersedeo. Haec enim: „*χαλεποὶ δέ μιν ἄνδρες ἔχουσιν* dicere non potuit, cum ipsa Mercurium ad Calypso mittendum curasset. Novas igitur planeque ineptas recentioris aetatis poetae finxerunt fabulas. Quae mirum in modum libri II. loco comprobantur. Jbi enim v. 19 seqq. haec legimus:

καὶ γὰρ τοῦ φίλος υἱὸς ἅμ᾽ ἀντιθέῳ Ὀδυσῆι
Ἴλιον εἰς εὔπωλον ἔβη κοίλῃς ἐνὶ νηυσίν,
Ἄντιφος αἰχμητής· τὸν δ᾽ ἄγριος ἔκτανε Κύκλωψ
ἐν σπῆι γλαφυρῷ, πύματον δ᾽ ὡπλίσσατο δόρπον.

At quomodo fieri potuit, ut poeta rationes arti congruas in carmine componendo secutus, tam perverse rem moliretur, ut quae narrationi Ulixis coram Phaeacibus faciundae tribuenda essent, jam nunc loco maxime iniquo referret? Quid quod auctor vel nomen miseri illius Antiphi non ignorat, qui ne verbo quidem tota Odyssea memoratur! (cf. Od. IX. 289) qui — mirabile auditu! — Aegyptii Ithacesii filium fuisse postremum, quem ex Ulixis sociis immanis Cyclops devorasset, noverat! Scholia nihil memoratu dignum afferunt; unus Henningsius totum locum (17—24) exsulari jubet (p. 171). Sed falso. Ut enim poetae l. XXIV. v. 422 seqq. ante oculos fuerint, certe haec causa nulla est dicenda, cur non tribuamus Telemachiae consarcinatori, cum vir doctus nostrum carmen ad reliquarum Odysseae partium normam procusum esse, ipse dicat. (219 seq.) Sunt ejusdem farinae ac reliqui loci, qui seram carminis originem comprobant. Solent enim recentiores poetae, quae Homerus divinitus locutus est, singulis factis dilatare nominibusque novis fingendis legentium animos delectare. Itaque multa nobis in Tele-

machia occurrunt nomina, quae nullo alio loco inveniuntur, velut I. 105 Mentes, Taphiorum rex, qui filius est Anchiali (I. 180); Temesa (184); Ilus Mermerides (259); Aegyptius (II. 15); Peisenor praeco (38); Phronius, Noemonis filius (386); Echephron, Stratius, Perseus, Aretus, Thrasymedes, Nestoris filii (III. 413 seqq.); Eteoneus *Βοηθοίδης* (IV. 22, 31, XV. 95); Asphalion (IV. 216), alii.

Praeter has, quas modo commemoravi res, aliae quoque sunt, quibus Telemachiam inferioris aetatis esse confirmatur. Inest enim mira mirorum factorum congeries. Ac locum quidem de Menelao in diis collocando (IV. 561—570) contra virorum doctorum sententias jam supra nostro vindicavimus. Ab eo enim sicut illi qui de Ulixe leguntur versus additus est. Quos cum Welckerus, vir doctissimus, defendat poetasque post Homerum plerumque virorum fortium apotheosin celebrasse dicat, serioris Telemachiae originis suspicionem nobis ipse injicit. Dicit enim in libro, cui titulum fecit: „Der epische Cyklus" partis prioris pag. 218: „Wenn wir bemerken, wie in jener (d. i. der nachhomerischen) Periode das Epos stark dahin neigt, den Haupthelden am Schluss in dem Glanze eines unsterblichen Daseins zu zeigen, wie die Thebais den Amphiaraus, die Aethiopis den Achilleus, die Nosten den Menelaus, die Telegonee den Odysseus mit seiner Sippschaft . . . . . ." et p. II. p. 282: „Ausserdem hat Proclus (cf. ejus *χρηστομαθ. γραμματ.*) vom Schlusse des Gedichtes (*τῶν νόστων* sc.) ausgelassen, dass Menelaus nach seinem Tode nach Elysium versetzt wurde, was die Odyssee, als er noch lebte, unter der Form der Prophezeiung meldet." Et re vera res ita se habere videtur. Sed quoniam centonarius immortales reddere non poterat vivos, Proteum Menelaum post mortem in Elysiis campis habitaturum esse, versibus carptim insulsissimis (cf. 567 seqq. et Duentz.) vaticinantem fecit. Neque abhorrent haec a reliquis quae de rebus mire gestis in Telemachia legimus. Multa enim insolita jure summam tibi suspicionem movent. Minerva *οὔτε τι μάντις ἐὼν οὔτ᾽ οἰωνῶν σάφα εἰδώς* (I. 202) haec dicit (I. 200):

αὐτὰρ νῦν τοι ἐγὼ μ α ν τ ε ύ σ ο μ α ι, ὡς κτλ. . .

et 320 *ὄρνις δ᾽ ὡς ἀνόπαια* „effugit, evasit, erupit". Telemachus Mentem deum esse credit (I. 323 *ὀΐσατο γὰρ θεὸν εἶναι*) idemque Minervam adfuisse sentit (I. 420 *φρεσὶ δ᾽ ἀθανάτην θεὸν ἔγνω*); Penelope hariolis sortilegisque studet (I. 415); l. II. v. 146 duae apparent aquilae, quae „*ὄσσοντο ὄλεθρον*", inauditus apud Homerum dicendi modus; v. 174 antiquum de Ulixis reditu vaticinium non bene narratur. (cf. Duentzer.) In libro III. praeter illud v. 27 *δαίμων ὑποθήσεται* notandum est, quod simili modo ac I. 320 factum est, Minerva *φήνῃ εἰδομένη* abit (III. 372) Accedit quod Helena, quae per totum carmen quasi veneficae partes agit, veneno ex Aegypto petito hospitum animos mire exhilarat (IV. 220); quid quod adeo vaticinatur! (XV. 172); quibus adnumerandum est illud de Theoclymeno vate embolium libri XV. (cf. imprimis vv. 225 seqq. et 531 seqq.). Admonent igitur haec omnia nos recentioris aetatis poetarum, e quibus unum locum laudasse sufficiat. Legimus enim in scholio Aristoph. Equit. v. 1332 adscripto: „*περὶ δὲ τοῦ πατρὸς αὐτοῦ Αἴσονος ὁ τοὺς Νόστους ποιήσας φησὶν οὕτως:*

αὐτίκα δ᾽ Αἴσονα θῆκε φίλον κόρον ἡβώοντα,
γῆρας ἀποξύσασ᾽ εἰδυίῃσι πραπίδεσσι,
φάρμακα πόλλ᾽ ἕψουσ᾽ ἐπὶ χρυσείοισι λέβησιν.

Itaque mortalium et animi et corpora apud illos poetas juvenescunt. Sed et Ulixem ipsum Ephyrae olim φάρμακον ἀνδροφόνον, ὄφρα οἱ εἴη ἰοὺς χρίεσθαι χαλκήρεας petiisse legimus (I. 260 seqq.); cujus rei ea de causa mentionem factam esse, ut illud τοὶ δ᾽ ἀγχιστῖνοι ἔπιπτον (XXII. 118 seqq.) explicari posset, jam a scholiasta adnotatum invenimus: προκατεσκεύασεν, ἵνα μὴ ζητῶμεν πῶς ἀπὸ μιᾶς πληγῆς ἀναιροῦνται οἱ μνηστῆρες." (cf schol. I. 261, Hennings. p. 226). Porro cum Telemachus se νόστον πευσόμενον πατρὸς φίλου profecturum esse, declaret, proci ne Ephyram eat timent, (II. 329 seq.):

ὄφρ᾽ ἔνθεν θυμοφθόρα φάρμακ᾽ ἐνείκῃ,
ἐν δὲ βάλῃ κρητῆρι, καὶ ἡμέας πάντας ὀλέσσῃ.

Nostri igitur carminis id quoque proprium est, quod venenatis sagittis, quarum nusquam mentio fit, locus est. — Sed haec novarum fabularum fictio et nimia rerum mirabilium coacervatio non solae sunt causae, cur posterioris originis Telemachiam esse existimemus: sermonis quoque color minime est negligendus; abhorret enim interdum a reliquis Odysseae carminibus.

Atque ἅπαξ εἰρημένα quidem, quae variis locis necessario varia sunt, ut L. Friedlaenderus ostendit (cf. Jahrb. d. klass. Philol. v. Alfred Fleckeisen III. Suppl. Bd. Heft VI. p. 711—830), auxilio vocare omitto. Ea tantum, quae memoratu sunt digna, afferam. Alienum autem esse nostri carminis dicendi genus, si comparaveris cum aliis Odysseae locis, haec tabula docebit:

l. I. v. 103 ἐπὶ προθύροις Ὀδυσῆος; pro ἐπί semper ἐν (ἐνί) conjunctum cum προθύροισι leges. (IV. 20).

v. 112. δατεῦντο hoc loco est „dissecare"; reliquis „distribuere" [δαιτρεύειν, δαίεσθαι. XIV. 433, XV. 140, 323.]

v. 278. ἕπεσθαι hoc loco Genitivus, praepositione ἐπί in auxilium vocata, sequitur; ceteroquin cum Dativo, saepe cum ἅμα, μετά, σύν conjungitur. Unus Athenaeus hanc lectionem praebet: τὸν ἕτερον ἐπὶ τοῦ ἑτέρου καὶ οὐρὰν ἑπόμενον (VII. 281).

v. 337. οἶδας pro οἶσθα recurrit in hymnis et apud recentioris aetatis scriptores. (cf. Krueg. Dial. 38. 7.)

l. II. v. 63 καλῶς, quod iterum legitur hym. XLVII. v. 4. hoc uno loco reperitur; reliquis καλόν vel καλά; eo majorem suspicionem movet, quod cum ἅπαξ λεγομεν. διόλωλε copulatum est.

v. 150. πολύφημος (ἀγορά) hic passive positum est ut apud posterioris aetatis auctores (Herod. V. 59; Alcm. ap. Athen. XI. 499a; Pind. I. 7. 58); aliis Homeri locis significat „vielredend" (Od. XXII. 376; Batr. 12).

v. 190. ἀνιηρέστερος, cujus loco Bekkerus ἀνιηρώτερος scripsit, posterioribus demum temporibus usitatum est. Scholiasta igitur haec adnotavit: „ἀττικὸν, ὡς τὸ πτωχέστερον; formas in εστερος apud Herodotum, Pindarum, Epicharmum alios vulgatissimas esse, Eustathius monet (ad l. II. v. 190.).

v. 203. *χρήματα βεβρώσεται* pro *βρωθήσεται* apud unum Lycophronem recurrit. (1421. III. ed. Bachmann.)

v. 366. *ἀλλογνώτῳ ἐνὶ δήμῳ = ἀγνώτῳ;* hac significatione *ἁπ. εἰρ.* cum usu homerico, qui ceteroquin *ἀλλόθροος, ἀλλοδαπός, ἀλλότριος, ἄλλος* habet, discrepat. (Duentzer.)

v. 404. *μὴ —διατρίβωμεν ὁ δ ο ῖ ο* scholiasta haec adscripsit: *ἀττικῶς· Ζηνόδοτος δὲ εὐήθως ἀθετεῖ αὐτόν*; reliquis enim locis verbum cum Accusativo consociatur (cf. Apoll. Rhod. III. ed. Schaef. II. 883 *μὴ — διατριβώμεθα πέτρης*). Hic duos alios subjungemus locos I. 195 (*βλάπτουσι κελεύθου*) et IV. 380 [(469) *πεδάᾳ καὶ ἔδησε κελεύθου*], quae verba nusquam Genitivus sequitur. Aeschylus dicit (Agam. 119) *βλαβεὶς λοισθίων δρόμων.* (Cf. Opp. H. II. 441, *ὁδοῦ;* Theogn. 223 *νόου ἐσθλοῦ;* Quint. Smyr. XIV. 423.)

l. III. v. 175. pro verbo *τέμνειν* ceteroquin *τάμνειν* scriptum invenimus (Krueg. D. 40).

v. 337. *ἔκλυον αὐδησάσης*; hic *κλύω* est „obedire“, quod aliis locis duobus verbis exprimitur: *ἔκλυον ἠδ' ἐπίθοντο* (477 Il. VII. 379).

v. 400 epitheto *εὐμελίης* usus est, quod falso ab Jliade mutuatus est auctor. Pisistratus enim bellicosus esse nullo alio loco exhibetur.

v. 419. *ἱλάσσομαι* hic „venerari“, aliis locis semper „propitium reddere“ vel „placare“ significat (Jl. I. 100, 147).

v. 435. *εἰργάζετο* verbum augmento exornatum nusquam legitur (cf. Od. XXIV. 210).

v. 471. *ἀνέρες ἐσθλοί* ex Od. XIV. 104 (*ἐπὶ δ' ἀνέρες ἐσθλοί ὄρονται*) surreptum perverse hic de s e r v i s vinum infundentibus usurpatur.

De v. 62 l. IV. *σφῳν* scholiastae verba laudasse satis est: „IV. 62—64 *προηθετοῦντο καὶ παρὰ Ζηνοδότῳ καὶ παρὰ Ἀριστοφάνει· τ ό τ ε γ ὰ ρ σ φ ῶ ϊ ν ο ὐ χ Ὁ μ η ρ ι κ ῶ ς μ ο ν ο σ υ λ λ ά β ω ς ἐ ξ η ν έ χ θ η, ὅ τε ἔπαινος τῶν νέων οὐκ ἀναγκαῖος*; addere potuit: nihilominus versus centonario nostro minime abjudicandus est.

v. 72. Pro *κατὰ δώματα* semper scriptum invenies *καδδώματα;* epitheton *ἠχήεντα* reliquis locis de mari tantum usurpatum (Jl. I. 157) hic non bene de androniti positum est.

v. 153. *πικρόν* hoc uno loco *δάκρυον* nominatur.

v. 158. *νεμεσσᾶται ἀντὶ τοῦ αἰδεῖται οὐχ Ὁμηρικῶς* (cf. II. 64) ut scholiasta monet.

v. 201. *οὐ — ἤντησα* perverse de fratre usurpatur; verba *οὐ γὰρ ἔγωγε — γενέσθαι* ex Jl. IV. 374 seq. sumpsit.

in vv. 244 et 247 notandum est, quod hic *αὐτόν*, illic *αὐτόν μιν* reflexive auctor posuit.

v. 254. male noster usus est verbo „*ἀναφῆναι*“, ita ut hic significet: „se non aperturam esse, Ulixem Trojae fuisse“. (cf. Duentzerum, qui frustra locum enucleare studuit, vertens „dass Odysseus unter den Troern“).

v. 567. *λιγὺ πνείοντας ἀήτας.* Cum verbum *λιγύ* tantum de ventis acriter flantibus usurpetur (Od. III. 289, Jl. XIII. 334, XIV. 17), hic, ubi aeterna Elysii felicitas celebratur, non quadrat; neque Oceanus sed Aeolus ventorum moderator est.

v. 732. Ubique Homerus verbum πυνθάνομαι cum Genitivo conjunxit (Jl. XIII. 522, XVII. 377); hic autem, ut apud posterioris aetatis scriptores, Accusativus sequitur: ὁδὸν ὁρμαίνοντα. (cf. Herod. IX. 58 ὡς ἐπύθετο τοὺς Ἕλληνας ἀποιχομένους et Duentz.)

l. XV. 26 κυδρός alioquin de diis positum, nostro loco de mortali homine scriptum legitur (Jl. XVIII. 184).

v. 74. φιλεῖν pro φιλέειν apud Homerum nusquam invenitur (cf. Jl. IX. 614, Od. XVII. 56, XV. 201, 542).

v. 98 ὀπτάω, quod verbum hic cum Genitivo consociatur, reliquis locis Accusativus sequitur (Jl. I. 466); itaque scholiasta adnotat: „ἀττικὴ ἡ φράσις."

v. 218 pro ἀπ. εἰρ. ἐγκοσμέω Homerus semper κατακοσμέω scribit (cf. Od. XXII. 440, Jl. IV. 118); nec τεύχεα (IV. 784) sed ὅπλα (cf. Od. II. 423, 430, VI. 268) de rebus in itinere necessariis usurpatum invenitur.

v. 236 τίνω semper cum Accusativo et Genitivo conjuncto (Jl. III. 366; Od. III. 206) praeter consuetudinem duplex Accusativus attributus est.

Quoniam eo disputationis venimus novisque fabulis exornatam, instructam rerum mirabilium congerie, sermonis colore vitiisque infectam vidimus Telemachiam, neminem jam recentioris originis esse carmen negaturum spero. Sed quod jam supra centonarium nostrum „nostos" alio ex carmine deprompsisse ostendimus, restat ut paucis comparemus cum iis, quae de nostorum auctoribus ab antiquis memoriae traduntur. Quam viam difficilem ingressurus ne audacius in omnium doctorum virorum judicium invehar vereor. Ac Welckerus quidem (cf. der epische Cyklus od. die hom. Dichter I. 260, II. 281 seqq.) et G. W. Nitzschius (cf. Beiträge zur Gesch. d. ep. Poesie d. Griech. p. 280 seqq.) Suidae judicio (Lex II. 1. p. 1008 ed. Bernh.), qui sub verbo νόστος haec scribit: „ἡ οἴκαδε ἐπάνοδος παρὰ τὸ τῆς πατρίδος ἡδὺ ἢ ἡ ἀνάδοσις τῆς γεύσεως · Καὶ οἱ ποιηταὶ δὲ οἱ τοὺς Νόστους ὑμνήσαντες ἕπονται τῷ Ὁμήρῳ ἐς ὅσον εἰσὶ δυνατοί" adstipulantur et Agiam Troezenium antiquiora Homeri carmina in suum usum referentem exscripsisse vel certe quaedam ab illo mutuatum esse obstinate tenuerunt. Cum enim complures nostorum scriptores exstiterint (cf. Stiehle philol. VIII. p. 49 seqq. et X. 151 seqq.; IV. p. 99 seqq.), ex iis qui argumentum versibus prosequebantur, duo imprimis sunt nominandi: Colophonius quidam poeta et Agias aut, ut alii volunt, Augias Troezenius. Sed de illo pauca tantum innotuerunt; unus Eustathius in Od. XVI. v. 118 (p. 1796) laudat eum his verbis: „ὁ τοὺς νόστους ποιήσας Κολοφώνιος κτλ."; de hoc complures viri docti scripserunt (Cf. Welcker. ep. Cykl. I. 260 seqq., 276 seqq., II. 281—300; Sengenbusch. diss. post. p. 59 et 119). Exstant autem reliquiae carminis ab hoc auctore compositi in Procli chrestomathia grammatica, cujus libri membra variis in locis dissipata optime composuit R. Westphalius (scriptor. metric. graec. I. 229 seqq.). Ac Segenbuschius quidem Agiam Troezenium „nonnullas narrationes hausisse vel transscripsisse partes quasdam immutatas e carmine antiquioris alicujus poetae, qui natione esset Colophonius", suspicatur. Quod saepius factum esse Clemens Alex. (Stromb. 628 b), qui Pisandrum ad Heracleam componendam antiquiore Pisini carmine eodem nomine insignito usum esse monet, comprobat. (Cf. Nitzsch. Gesch. d. ep. Poes. p. 212).

Ac Welckerus (l. l. I. 255), quae de Colophonio poeta apud Eustathium scripta legamus, iis, quae de Agiae nostis memoriae tradantur, congruere dicit. Sed falso. Hujus enim nosti cum Menelai domum adventu sint circumscripti, (cf. Westphal. l. l. p. 241) Eustathius (l. XVI. v. 118) haec dicit: *ὁ τοὺς νόστους ποιήσας Κολοφώνιος Τηλέμαχον μέν φησι τὴν Κίρκην ὕστερον γῆμαι, Τηλέγονον δὲ τὸν ἐκ Κίρκης ἀντιγῆμαι Πηνελόπην,* itaque utriusque poetae carmina diversa fuisse alta voce declarat. Quae igitur Colophonius poeta contractius strictiusque in unum idemque carmen coegerat, Agias latius liberiusque narravit et nostis solis operam navavit; reliqua alius auctor, Eugammon Cyrenaeus in Telegonia ad finem perduxit (cf. Westphal. pag. 241). Apotheosi igitur et Colophonius et Cyrenaeus poeta finem scribendi fecerunt, non fecit Agias. Sed mirum inter Homeri et Agiae nostos intercedere concentum viri docti intellexerunt (cf. Welck. I. 276, II. 282, 287; Nitzsch. Geschichte d. ep. Poes. p. 194, 196, 283, 292, 428; Stiehle philol. VIII. 50). Qui concentus tantus est, ut vel in numero „quinque navium", quibus Menelaum in Aegyptum venientem faciunt, consentiant et veteres Homero quoque nostos tribuerint: (cf. Planud. IV. 300. Br. Anal. III. 255, 492)

μῆνιν μὲν γὰρ ἀείσας Ἀχιλλέος, αὐτὰρ Ἀχαιῶν
στρομβηδὸν νηῶν σύγχυσιν ἐν πελάγει,
τειρομένων τε πλάνῃσιν Ὀδυσσέα —

Attamen nonnulla sunt, in quibus narrandis magnopere discrepant.

Legimus Od. l. III. v. 188 seqq.:

εὖ μὲν Μυρμιδόνας φάσ᾽ ἐλθέμεν ἐγχεσιμώρους
οὓς ἄγ᾽ Ἀχιλλῆος μεγαθύμου φαίδιμος υἱός,

et IV. 8.

τὴν (θυγατέρα) ἄρ᾽ ὅγ᾽ ἔνθ᾽ ἵπποισι καὶ ἅρμασι πέμπε νέεσθαι
Μυρμιδόνων προτὶ ἄστυ περικλυτόν, οἷσιν ἄνασσεν,

et XI. 533.

ἀλλ᾽ ὅτε δὴ Πριάμοιο πόλιν διεπέρσαμεν αἰπήν,
μοῖραν καὶ γέρας ἐσθλὸν ἔχων ἐπὶ νηὸς ἔβαινεν.

Secundum Homerum igitur Neoptolemus navibus redit Phthiamque venit, qua de re Lesches (Welck. II. 292) et Pindarus (Nem. VII. 36 seq.) cum eo consentiunt. Sed cum scholiasta adnotet (IV. 9): *Μυρμιδόνων προτὶ ἄστυ,] ἣν Ὅμηρος μὲν Φθίαν λέγει, οἱ δὲ νεώτεροι Φαρσαλίαν*", Eustathius rem ita refert (III. 189 p. 1463): *περὶ οὗ φασί τινες καὶ ὅτι Νεοπτόλεμος ἐπειδὰν τὸ μέχρι Θετταλίας διεμέτρησε πέλαγος, ἐνέπρησεν ἃ εἶχε σκάφη, συμβουλῇ Θέτιδος. καὶ χρησθεὶς ὑπὸ Ἑλένου, μένειν, ὅπου ἂν οἴκῳ ἐντύχῃ θεμελίους μὲν ἔχοντι σιδηροῦς τοίχους δὲ ξυλίνους καὶ ὄροφον ἐρεοῦν, καὶ πεζὸς ἐλθὼν εἰς τὴν παμβῶτιν λίμνην ἠπείρου, εὗρέ τινας ἐκεῖ δόρατα πήξαντας καὶ χλαίνας καταπετάσαντας ἄνω, καὶ οὕτω σκηνοῦντας καὶ συμβάλλει τὸν χρησμόν · καὶ οἰκεῖ ἐκεῖ . καὶ ἴσχει υἱὸν τὸν Μολοσσὸν ἐξ Ἀνδρομάχης τῆς γυναικὸς Ἕκτορος, ἀφ᾽ οὗ Μολοσσία ἡ χώρα.*" Auctor igitur genuinum fabulae initium servavit, mutavit finem; Neoptolemum enim non Phthiam sed in Molossos venientem inducit. Agias vero et initium novavit scribens (cf. Westphal. p. 240) *Νεοπτόλεμος δὲ Θέτιδος ὑπο-*

θεμένης, πεζῇ ποιεῖται τὴν πορείαν, καὶ παραγενόμενος εἰς Θρᾴκην Ὀδυσσέα καταλαμβάνει ἐν τῇ Μαρωνείᾳ · καὶ τὸ λοιπὸν ἀνύει τῆς ὁδοῦ καὶ τελευτήσαντα Φοίνικα θάπτει · αὐτὸς δὲ εἰς Μολοσσοὺς ἀφικόμενος ἀναγνωρίζεται Πηλεῖ.“

Alterum quoque exstat, quo Telemachiae auctor cum Agia dissentit. Cum enim ille Ajacem circa gyraeos scopulos naufragium facientem inducat (Od. IV. 500), Agias eum apud Caphareum, Euboeae promontorium, periisse dicit (cf. Westph. p. 240). Scholiasta et Eustathius gyraeos illos scopulos apud Myconum insulam Cycladum, Nitzschius (Anmerk. 278) et Duentzerus (ed. p. 144), Quinti Smyrnaei sententiam secuti (XIV. 570), apud Caphareum promontorium sitos esse volunt. Discrepantia optime ita sanari poterit, ut Homerum de scopulis rotundis in universum cogitasse statuamus, quibus posterioris temporis et poetae et grammatici certum in mari locum tribuere studuerunt.

Quae cum ita sint, ex Agiae carmine nihil exscribere potuisse Telemachiae auctorem apparet. Restat igitur unus Colophonius poeta, cui Agias pauca, multa hic noster furatus esse videtur. Pauca Telemachiae auctor mutavit, confudit multa cum suis versibus, nonnulla constrictius narravit ut ea, quae IV. 83—90, 125—133, 221—232, III. 188—199, XV. 113—119 refert. Sed cum minore arte opus elaboraret, narrationes, quae mediae hiant, (cf. III. 262 et 276) interposuit neque, sicut debebat, personas mutavit. Jtaque Duentzerus v. 579 seq. l. IV. (cf. Nitzsch. Geschichte d. ep. Poesie p. 114) haec adnotavit [*τιθέμεσθα-καθῖζον-τύπτον*]: „Man erwartet auch hier (v. 579 seq.) die erste Person; aber der Dichter bedient sich hier stehender Verse, deren Aenderung das Metrum versagte.“ Sed aliis quoque ex locis, ubi statis versibus minime utebatur, nostrum poetae antiquioris versus non bene in suum usum vertisse liquet, velut III. 130 seqq., ubi cum verbum *διεπέρσαμεν* (130), *ἡμῖν*, *ἔσαν*, *σφέων*, *ἀνόρουσαν* (149), *σφίσιν* (150) secuta sint, subito ad primam pluralis numeri personam (*ἀέσαμεν* 151) redeuntem videmus. Ubique igitur noster idem est discrepantias discrepantiis cumulans.

Praeterea pauca de Colophonio poeta sunt mihi dicenda, quem ab uno Eustathio citari jam supra commemoravi. Scribit enim (XVI. 118) *ὁ τοὺς νόστους ποιήσας Κολοφώνιος Τηλέμαχον μέν φησι τὴν Κίρκην ὕστερον γῆμαι, Τηλέγονον δὲ τὸν ἐκ Κίρκης ἀντιγῆμαι Πηνελόπην;* e quibus, ut antea dixi, ab eo et Nostos et Telegoniam uno carmine circumscripta fuisse apparet. Quae ipse constrictius memoriae prodiderat, postea ab Agia et Eugammone latius sunt narrata. Quodni factum esset, certe Agias non tantum spatii Teresiae Colophone sepulto in nostis suis tribuisset (cf. Westph. p. 240.). Alterum quoque exstat, quo nostrum Colophonii ex carmine hausisse verisimile est. Apud eum et apud Homerum Megapenthis nuptiarum mentio fit (Od. IV. 1 seqq.). Nam Eustathius scribit (IV. 12) *καὶ ὁ τῶν νόστων δέ φασι ποιητής, κύριον ὄνομα λέγει τὸ δούλης κτλ.* Quae, cum Agias Megapenthis nuptias non commemoret, de Colophone poeta sunt intelligenda. Sed quamquam haec omnia sunt, quae pro fontium inopia de illo investigare potuimus, tamen Telemachiae auctorem argumentum multosque versus hausisse e Colophonii poetae nostis, Agiam vero multa novasse, jure contendisse mihi videor.

Sed haec hactenus. Restat ut finem disserendi faciam. Saepius mihi Telemachiam legenti initio pauca obviam sunt facta, quae memoratu digna viderentur. Cum ineunte hoc carmine versus (I. 325 seqq.) legas:

τοῖσι δ᾽ἀοιδὸς αειδε περικλυτός, οἱ δὲ σιωπῇ ε
εἵατ᾽ ἀκούοντες · ὁ δ᾽ Ἀχα [illegible] ἄειδν
λυγρὸν, ὃν ἐκ Τροίης ἐπετείλατο Παλλὰς Ἀθήνη

his v. 350 seqq. respondere intelligis:

τούτῳ δ᾽οὐ νέμεσις Δαναῶν κακὸν οἶτον ἀείδειν ·
τὴν γὰρ ἀοιδὴν μᾶλλον ἐπικλείουσ᾽ ἄνθρωποι,
ἥτις ἀκουόντεσσι νεωτάτη ἀμφιπέληται.

Jtaque Telemachiae auctor se virorum fortium nostos relaturum recentiorisque originis carmen esse, ipse indicat.

Quoniam ad id locorum venimus, si quid audacius disputavero, viros doctos, qua solent esse humanitate, veniam mihi daturos esse spero, praesertim cum non novandi cupiditate ductus sed longinquis studiis commotus, hoc carmen enarrandum mihi proposuerim, quo facto illud Euripidis comprobari vidi:

„*Ἁπλοῦς ὁ μῦθος τῆς ἀληθείας ἔφυ.*“